

*CH.* quid? duāsne uxores habet? *SO.* aũ obsecro, unam  
illequidem hanc solam.

755 *CH.* quid illam alteram quae dicitur cognata? *SO.* haec  
ergost. *CH.* quid ais?

*SO.* composito factumst quo modo hanc amans habere  
posset

sine dote. *CH.* di vostram fidem, quam saepe forte temere 30  
eveniunt quae non audeas optare! offendi adveniēns  
quicum volebam et ut volebam conlocatam amari:

760 quod nos ambo opere maxumo dabamus operam ut fieret,  
sine nostra cura, maxuma suā cura solu' fecit.

*SO.* nunc quid opu' facto sit vide: pater adulescenti' venit 35  
eũmque animo iniquo hoc oppido ferre aiunt. *CH.* nil  
periclist.

sed per deōs atque homines meam esse hanc cavē resciscat  
quisquam.

765 *SO.* nemo e me scibit. *CH.* sequere me: intus cetera.  
[audies].

## DEMIPHO GETA

*DE.* Nostrapte culpa facimus ut malis expediat esse,  
dum nimium dici nos bonos studemus et benignos.

ita fugias ne praeter casam, quod aiunt. nonne id sat erat,  
accipere ab illo iniuriam? etiam argentumst ultro obiectum,

770 ut sit qui vivat dum aliud aliquid flagiti conficiat. 5